





62.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,  
DE  
SALVTARIBVS  
AEGROTANTIVM  
AGRYPNIIS,

QVAM  
INDVLTV  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
IN ALMA ET PER-ANTIQVA HIERANA,  
SVB PRAESIDIO  
DN. D. ANDREAE ELIAE  
BÜCHNERI,

SACR. CAESAR. MAJEST. ARCHIAT. ET COMIT. PALAT. IMPERIAL. ACADEM.  
NAT. CVR. PRAESID. CHYMIAE PROF. PVBL. ET FACVLT. MED. ADSESS.  
ORDINAR. NEC NON REG. BEROLIN. SOCIETAT. SCIENT.  
SODALIS,

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,  
PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS  
ATQVE IMMVNITATIBVS  
RITE AC SOLEMNITER IMPETRANDIS,  
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVVSITIONI SVBMITTIT  
JOH. CHRISTIANVS SCHENCKEN,  
QVEDLINBVRGENSIS.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGI MAJORIS, HORIS CONSVEVIS.  
DIE XXIX. NOVEMBRIS, A. M DCC XXXIX.

ERFORDIAE, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

OPUSCULUM MATHEMATICUM

DE

SAUVARIIS

ALGEBRIS

ALGEBRA

PRIMA

PARTIS

GRATIOSA

IN ALTA

DR. DR. DONN. M. S. P. S.

BUCHER

PROF. P. S. P. S.

P. S. P. S.

PROF. P. S. P. S.

P. S. P. S.

P. S. P. S.

JOH. CHRISTIANUS

P. S. P. S.

P. S. P. S.

P. S. P. S.

P. S. P. S.





DISSERTATIONIS INAUGVRALIS MEDICAE  
DE  
SALVTARIBVS  
AEGROTANTIVM  
AGRYPNIIS,  
PROOEMIUM.



Vanta sit *Somni* utilitas, quantave  
ejus ad sanitatem conservandam  
vitamque prorogandam necessi-  
tas, neminem sane mortalium la-  
tere potest, utpote per experien-  
tiam satis jam superque edoctum, quod non  
sit durable, quod alterna caret requie. *Vigi-*  
*liae* enim omnes, maxime autem modum ex-  
cedentes, & vel ex necessitate, vel inepta qua-  
dam petulantia, diutius protractae, cum, ob ac-  
celeratas se- & excretiones, humorum consum-

A 2

tionem

tionem perniciosam, & ob conjunctum plerumque motuum augmentum, virium suspectam imminutionem inducant, gravissimam omnino tam sanitati, quam ipsi etiam vitae, inferre tandem valent noxam, nisi Somnus iisdem succedat, hujusque ope & beneficio humorum resolutorum viriumque deperditarum refarciatur jactura, nullo prorsus alio modo, nullisque vel alimentis nutrientibus, vel medicamentis reficientibus & analepticis, adeo prompte & exacte reparanda. Merito hinc cum BASILIO, Caesariensi Episcopo & Scriptorum ecclesiasticorum disertissimo, sanorum cuilibet acclamandum esset: *Gratias age illi (vero nempe Deo) qui mirabiliter nos per somnum ab assiduis laboribus recreat, & modicae quietis beneficio rursus ad vigorem virium reducit.* Ecquid enim tunc, si per labores diurnos, meditationes & studia profundiora, curas assiduas, motusque indefinentes ac varios, vires exhaustae & membra defatigata sunt, gratius nobis accidere potest ipso Somno?

- - quem cura fugit, qui corpora duris  
fessa ministeriis mulcet reparatque labori.

Aurea

Aurea hinc merito sunt Sanitatis tempora, ubi iusto termino vigilias diurnas somnus excipit nocturnus; tristia è contrario illorum sunt facta, licet non semper periculosa, ubi proportionem & moderationem necessariam speciatim vigiliae excedunt, earumque naturalis vicissitudo cum somno prorsus periisse videtur, dum nempe vel morbi, dolores ac varii cruciatus, vel anxiae curae hunc penitus profligant, dulcissimumque ejus effectum invitis nobis eripiunt; tristior autem magisque fontica eorum est conditio, qui, profundo sopore oppressi, viventium characterem prorsus deposuisse videntur, dum, iusto diutius dormientes, vivam mortis imaginem monstrant, somnique imperio non ad breve saltem, sed longum tempus, non per aliquot saltem, sed plurium horarum, imo dierum intervallum, subjecti sunt. Hinc, dum vigilantes ad minimum vivere videmur, dormientes vero parum vel nihil à mortuis differre solemus, merito idcirco *Vigilias*, in primis sub morbis evenientes, aegris quidem summe communiter molestas, quibuslibet Somni excessibus gravioribus, ob necessitatem aequae, ac

certissime abinde sperandam utilitatem, praefendas esse reputamus. Licet enim negandum non sit, quod ut plurimum sub morbis quibuslibet, tam acutis, quam chronicis, anxie admodum levissimus etiam somnus exoptetur & exoptetur, quando vel sub aestu diuturniori & fere continuo fluida absunta, aut inspissata, & solidae partes exsuccae, rigidae aridaeque redditae sunt, vel sub indefinentibus cruciatus & doloribus vires nimium fractae penitusque prostratae adparent, ubi sane optimum saepe arcanum & praestantissimam Panaceam praebet tranquillus ac spontaneus, etiam ad semi horulam saltem continuatus somnus, utpote quo citius communiter & tutius gravissima mitigantur, imo quandoque tolluntur symptomata, quam pretiosissimis ac praestantissimis caeteroquin medicamentis; minime tamen propterea licet, aut etiam expedit, vigiliis, seu *Agrypnias* hasce, similibus morbis quasi essentielles, ac pro obtinenda feliciore eorum profligatione absolute fere necessarias & non minus utiles, indiscretim suppressere & cohibere, nisi certiori ac graviori periculo exponere velimus aegro-



aegrotantes. Tam mirabilis enim & benigna est divini Conditoris oeconomia in rebus corporeis administrandis, ut sub eo, quod nobis sensu & primo intuitu videtur noxium, nostram saepe abscondat salutem, sicque uberri- ma nobis suppeditetur occasio, propitium Numen non modo in prosperis, sed & in iis, quae adversa statuit mens humana, celebrandi & collaudandi.

Cum ergo adfertur hujus veritatem inter alia etiam solenniores illae *aegrotantium agrypniae* quam maxime confirment, utpote quae, nisi modum & proportionem omnem prorsus excedant, ob utilem illum, quem tandem inferunt, effectum, plerumque patienter magis tolerandae, quam imprudenter tollendae sunt; hinc in praesenti Specimine inaugurali easdem exactius considerare, & in quantum re vera *salutares* & utiles, ad minimum à posteriori, vocandae, eaque propter minime turbandae sint, ingenuè monstrare placuit. Ut autem Deus T. O. M. inexhaustus veritatis omnisque boni fons, proposito huic indulgentissime faveat, precibus ardentissimis efflagitamus.

§. I.

**S**alubritatem *Agrypniarum* in morbis exposituri, quid sibi velit adpellatio ista, statim in limine paucis explicandum habemus. Refert autem *Agrypniac* vocabulum ad Graeciam, foecundissimam illam scientiarum matrem, suam originem, descendens à verbo ἀγρυπνῆν, quod proprie denotat somno privatum esse, unde dein ἀγρυπνῆς, *insomnis*, provenit. Et hanc pariter, ac priorem voculam, alii compositam esse volunt ex ἀσπνῆσι & voce ὕπνῳ, *somnus*, ut ita ἀγρυπνῆς idem sit, ac ἀσπνῆς, *somno carens*, seu *destitutus*, ex quo, per epenthesin literarum γρ deinde fiat ἀγρυπνῆς; alii autem easdem, & quidem potiori forsitan jure, derivare malunt ab ἀγρίω, *venor, capto*, & ὕπνῳ, *somnus*, ut ita, secundum hanc derivandi rationem, ἀγρυπνία esset quasi ἀγρῶ ὕπνῳ, *captura somni*, quoniam nempe sub tali statu, ubi præternaturales ejusmodi vigiliae occurrunt, aegri quasi studio quodam singulari & desiderio vehementi, instar venatorum, somnum venantur, illumque, tanquam rem aliquam gratissimam, captare exoptant. Latini statum istum plerumque *pervigilium* vocant, aliquando etiam barbaro vocabulo *insomneitatem*, aut *vigilias nocturnas, ingentes, assiduas, multas, nimias*; item etiam *vigiliarum instantiam, somni vacuitatem, defectum, vigilandi assiduitatem*, adpellare solent.

§. II.

Praemissa sic nominali definitione, ad realem descendimus, dicimusque *Agrypniam* esse *continuatam*, seu ultra tempus & modum ordinarium productam operationem sensuum in. & exterrorum, somnum omnem prorsus excludentem & profigantem, ab extraordinaria acivitate Animae, sentiendo & cogitando occupatae,  
atque

atque alacri organorum sensoriorum usu & proportionato vitalium motuum augmento, oeconomiae corporis sui prospicientis, unice dependentem.

§. III.

Veritatem hujus definitionis optime inprimis demonstrare possumus ex consideratione status ordinarii *vigiliarum*, & *somni* iisdem oppositi: Quemadmodum enim illas per sensuum exercitium assiduum, tam vitalibus, quam moralibus actionibus continuandis & perficiendis potissimum inservire notum est, siquidem inprimis vigilare & cogitare, rebus de reliquo secundum naturam constitutis, absolute inseparabilia sunt; ita somnum restaurandae & obscurandae energiae sensuum & cogitationum maxime famulari, per experientiam deprehendimus, id quod etiam exinde facile liquet, quoniam Animae activitatis tam in sentiendo, quam cogitando, minime absoluta, sed admodum circumscripta & limitata est, ita, ut eadem in perpetua & indefinente operatione, citra gravem activitatis & alacritatis hujus suae jacturam, manere haud queat, adeoque opus omnino habeat, ut, interposita ab actibus illis quiete, quam *Somnum* vocamus, amissa debite resarciat.

§. IV.

Ob hanc ergo rationem, pluresque alias adhuc subjungendas, Somnum minime simpliciter *passive* contingere, & animae activitatem interturbare, aut penitus obruere, statuendum erit, quin potius pro tali eundem reputamus effectum, sub quo ipsa anima *active* simul concurrat, quemque certa ratione atque methodo positive suscipit & inducit, remissione inprimis activitatis ordinariae sensoriae. Dum enim illa sensationes quoad maximam partem positiva qua-

B

dam

dam activitate praestat, aut ad easdem concurret, utique exinde sequitur, quod, quam primum ab activo hoc concursu anima remittit, tunc statim somnus oboriatur & eveniat. Neminem enim, qui decenter ad omnia circa somnum occurrentia attendit, fugere potest, quod, ubi placide & prompte eundem capessere intendimus, ante omnia requiratur, ut prius adsit, vel concurrat, securitas plenaria mentis, alienatio ejus à positivis intentis cogitationibus & sollicitis speculationibus, & fastidium quasi sentiendi & ulterius agendi, siquidem per se jam notum est, quod non solum ingens & intentus metus, moeror ac sollicitudo, sed & desiderium eximium & expectatio rerum gratarum, somnum si non plenarie tollant, tamen vividis phantasis, seu frequentioribus somniis, turbent.

## §. V.

Sic etiam porro abunde jam jam omnibus constat, quod homines ab aestimatione rerum, quae vel sensum, vel animum concernunt, alieniores, adeoque stupidiores & circa actus judicii fastidiosiores, ad somnum prae aliis semper admodum proclives sint; quod subjecta ingenii vividioris & activioris, si talibus in locis & societatibus sunt, ubi non habent, quae huic suae constitutioni quadrent, plerumque praeter omnem consuetudinem tunc non solum ad somnum valde proni sint, sed etiam vix ab eodem sibi temperare queant; quod denique tanta etiam sit consuetudinis vis in ipsum somnum, ut, qui v. g. somnum meridianum aliquoties admiserunt, pluribus sequentibus diebus exquisite eadem hora ita vehementer quasi ad illum necessitentur, ut, nisi gratiora quaedam suscipiant negotia, aut vi quadam eundem profligare nitantur, vix ac ne vix quidem eundem evitare queant;

queant; quemadmodum etiam, qui certa nocturna, aut matutina hora, modo secundum voluntatem & ex proposito, modo etiam ex accidenti expergiscuntur, plerumque postmodum, vel ad illam statam horam, si inprimis firma simul accedat intentio, iterum evigilant, vel ad minimum intra illud tempus somnum saepius interrumpi, minusque tranquillum esse deprehendunt.

## §. VI.

Non minus etiam activum Animae concursum in negotio somni comprobare nobis videtur prompta illa ejusdem alteratio ab *animi perturbatibus*, dum v. g. ad illum capiendum summe inclinantes & plenarie dispositos, imo jam dormitantes, audito laeto aliquo nuncio, aut occurrente quacunque occasione ad inducendum graviolem terrorem, vel iracundiam, protinus excitari, omnique discusso somno, ad consuetam suam activitatem & vigilantiam redire; e contrario autem eos, qui somnolentiae antea non admodum dediti fuerunt, oborto affectu moeroris & tristitiae, admodum fastidiosos & desidiosos reddi, somnum ipsum magis appetere, eidemque praeter consuetudinem facilius se se tradere & indulgere, observamus. Similiter quoque de actuali & spontanea *remissione activitatis* Animae, tam quoad sensus, maxime externos, quam quoad motus, & inprimis tonicum partium musculosarum, sufficiens testimonium praebet, partim illorum sub somno qualicunque observanda hebetudo, sub profundiori autem plenaria quasi obnubilatio, aut abolitio; partim etiam totius habitus corporis major illo tempore sese manifestans laxitas & inturgescencia, in expergefactis ordinarie post crebriorem partium istarum extensionem, commotionem, aut frictionem, demum iterum cessans & evanescens.

## S. VII.

Ex his ergo, pluribusque aliis circa Somnum occurrentibus phaenomenis, cum luculenter adpareat, quod minime simpliciter passive sub eodem sese habeat Anima, sed sponte omnino eundem, pro obtinenda quiete in actibus ratiocinationis & sensationis, imo & ipso motu voluntario, admittat, merito nunc concludere licebit, quod etiam *Agrypniae*, seu vigiliae diuturniores, tam in morbis, quam extra illos eventientes, minime absolute coactae sint, sed pariter deliberato consilio ab Anima suscipiantur & continentur, adeoque ratione *intentionis* semper, ratione *executionis* autem ut plurimum *salutares* evadere queant. De *naturalibus vigiliis*, seu iis, quae sanis familiares atque solennes sunt, & ad quas sicuti homo, ita & omnia animalia condita sunt, id per se liquet, siquidem sub his, dum in actionum animalium & moralium exercitio consistunt, sensus omnes excitantur, calor in singulas partes dispergitur, alimentorum distributio, humorum secretoria depuratio & excrementorum eliminatio promovetur, si nempe in primis iusto cessant tempore, & in placidum & convenientem iterum desinunt somnum. Imo, possunt etiam tales quandoque ultra limites & terminum ordinariae suae durationis protrahi & extendi, citra tamen exinde subsequentem qualemcunque noxam, si modo antea vegeta satis robustaque fuerint subjecta. Sic *Alardus Herman.* CUMMENS à CUMMEN, *Ephem. Nat. Curios. Dec. I. Ann. III. Observ. 155.* de nobili quodam viro refert, quod ex nimio Tabaci usu in tantam incidit agrypnam, ut per sedecim dies somnum non caperet, operationibus tamen vitalibus aeque, ac animalibus, salvis & integris manentibus; alium vero, cum canicula fulgente purgans medicamentum adsumisset, intra tres septi-

manas

manas ne momentum quidem dormire potuisse, usque dum frequenti Laudani opiati usu restitueretur. Quodsi vero nimium quantum prolongantur, extra morbos eventientes tales agrypniae, tunc plerumque & animi, & corporis vires nimium frangunt, functiones animales & naturales admodum turbant, humorum rarefactioni nimiae ansam praebent, sicque sanitatem, & imprimis mentis integritatem eximie laedunt, prout hoc exemplum pueri, secundum agentis annum, demonstrat, qui, notante PANAROLO *Pentec. V. Observ. 4.* postquam per integros sex menses insomnis fuit, tandem fatuus factus est. De *praeternaturalibus*, seu sub statu morbofo & praeternaturali eventientibus *vigiliis*, quarum specialiolem considerationem unice in hac Dissertatione suscepimus, susus nunc demonstrare conabimur, quod & illae sub certis respectibus omnino pariter *salutares* sint, si modo ea praemissa fuerint, quae in genere adhuc de iis monenda restant.

XVIII  
§. VIII.

Quaquam ergo Agrypnam omnem potissimum ab alacritate Animae, sentiendo & cogitando occupatae, superius (§. II.) deduxerimus, adeoque ipsum hoc immateriale & rationale corporis nostri principium pro *efficiente primaria* ejus causa agnoverimus, minime tamen idcirco *materiales causas* insimul concurrentes prorsus excludere placet, siquidem tales *mediate* ad minimum, aut *secundario*, multum omnino huc conferre per experientiam sufficienter liquet, quatenus nimirum iis viscera aggravantur, actiones ordinariae turbantur, partes sensibiliores irritantur & stimulantur, sicque principii vitalis energia & activitas, ad illas tollendas, magis provocatur & excitatur. Nam, sicuti alias

novimus, quod in statu sano, sola etiam copiosior ciborum ingurgitatio, vespertino praecipue tempore facta, si brevi post ad somnum se componant ejusmodi subjecta, ob difficultus & tardius succedentem illorum digestionem, & exinde dependentem organorum huic actioni inservientium molestam distensionem, ordinarie salutarem illam nocturnam quietem multum turbet & impediat; ita tanto magis, si in praeternaturali statu varii generis impuritates, tam in massa humorum, quam in visceribus & reliquis partibus accumulatur, sicque fluidorum crasis & mixtio depravatur, solidorum autem tonus alteratur, imo substantia ipsa eorum quandoque laeditur, ob inde imminens, facileque eventurum gravius periculum, activitatem Animae in ordinariis functionibus augeri, sicque agrypnias inevitabili modo induci, & pro circumstantiarum ratione prolongari, absolute necessesse est.

§. IX.

Praeter vero *internas* has causas, variae etiam occurrunt *externae*, priores illas magis excitantes, adeoque faciliorem occasionem agrypniis, tam in sano, quam morboſo statu eventibus, subministrantes, imo easdem quandoque exasperantes & diuturniores reddentes. Primum ex his locum occupat *aer aestivus*, calidus & siccus, insimulque luminosus & splendidus, humores non solum plus justo exagitans, sed etiam sensum externorum, inprimis autem visus organa gravius afficiens, adeoque Animae in iis activitatem magis provocans. Idem, in sanis potissimum, praestat *motus corporis* vehementior, aut diuturnior, cursu, saltatione, luctatione, equitatione, vel ambulatione excitatus, serosam non solum sanguinis partem exhauriendo, sicque fervidiorem eundem reddendo, sed

&



& universalem humorum orgasmum, ob vegetam solidorum reactionem & tensionem non ita facile refrænandum, inducendo; unde etiam ratio patet, cur plerumque post insigniorem corporis defatigationem non tam facile tranquilluss equatur somnus.

§. X.

Similem effectum ex eodem fundamento exserunt *alimēta, potulentia & medicamenta*, tam calefacientia, veluti aromatica, vinosa & spirituosa, largius adsumta, quam actu calida, utpote infusa Thee & Coffee, quae non tam cohibendo soporiferos vapores, conservare solent vigiliis, uti BORELLVS *Cent. III. Obs. 39.* existimat, quam potius sanguinem placide commovendo & exagitando, qua ratione etiam impetuosiora *animi patibemata*, itemque cogitationes libidinosas, & frequentiores actus venereos somnum pariter profigare observamus. *Parcior* autem *victus ratio*, imo *inedia*, itemque *sitis* extraordinaria, ob stimulos molestos anxiumque conjunctum desiderium, similem somni defectum inducere posse, cuilibet per se jam patet. Sic quoque *profundioribus dediti meditationibus*, quibusque inest divinae scientiae cupiditas, qui doctos sermones & res graves meditantur, itidem omnem inclinationem in somnum, temporis successu, amittunt, tanto magis autem illi, quibus, juxta ARETAEVUM *de acut. & diuturn. morb. caus. Lib. II. cap. 6.* in ipso somno sunt vigiliae, aut qui dormientes quoque meditationibus indulgent, hacque ratione Animam in continua operatione & activitate circa sensus in- & externos conservant.

§. XI.

Quid tandem in genere ratione *Prognoseos de excessu* quolibet graviori, tam quoad *somnum*, quam *vigiliis*, judicandum sit, HIPPOCRATES jam jam indicavit, *Sect. III. Aphor. 3.*

his

his verbis: *Somnus, pervigilium, utraque si modum excefferint, malum.* Intelligendum autem hoc maxime esse, ratione Agrypniac, ad quam speciatim heic loci respicimus, de tali ejus gradu, qui ultra vires Naturae extenditur, statim *Aphor. 4. l. c.* innuit, ubi *nihil bonum esse pronunciat, quod Naturae modum excedit.* Tales enim re veranimitiae Agrypniac utique semper suspectae & perniciosae sunt, quoniam vires absumunt, habitum corporis exsiccant, & graciliorem ac aridiorrem reddunt, itemque morborum forsitan concurrentium vehementiam augent, inprimis si declinationis tempore ingruunt, utpote quo de jure interdum quiescendum esset Naturae ab assiduis antea perpetratis laboribus. Sic etiam malum plerumque pronunciat, si agrypniac contumacem exceperit tussis, quoniam ambo sic facile conspirant, mutuasque operas conferunt in corporis perniciem, dum tussis excutit somnum, & somni vacuitas acuit tussim. Pariter quoque suspectae sunt agrypniac, si in subjectis minus iisdem adfuetis occurrunt & pertinaciter continuant, veluti in infantibus & pueris, quippe quorum corpora quiete & somno adhuc obfirmanda sunt; & licet senibus de reliquo non adeo nocere videantur, quoniam hi ordinarie parciore gaudent somno, eaque propter etiam ab HIPPOCRATE *Sect. III. Aphor. 31.* inter morbos huic aetati solenniores & congruos relatae fuerunt, utique tamen, dum omnem somni concursum, ad qualemcunque virium conservationem iis maxime necessarium, prorsus excludunt, pariter facile funestae iisdem evadunt. Tandem sicuti minus suspectae sunt agrypniac, sub quibus vires adhuc aliquantulum constant, ita periculosiores omnino sunt, quae lassitudinem summam comitem habent, aut quibus convulsio, vel delirium supervenit, notante HIPPOCRATE *Sect.*

*Sect. VII. Apbor. 18.* quoniam tunc gravem nobilioris cujusdam visceris labem simul conjunctam esse facile concludere licet.

§. XII.

His ergo de Agrypniis in genere praemissis, merito nunc ad propositi nostri executionem strictius progredimur, dispi-  
ciendo nimirum & demonstrando, qua ratione illae in mor-  
bis salutare esse queant, & hinc ab aegrotis potius sustineri,  
quam profligari debeant. Quod autem neque omnes indi-  
cretim Agrypnias, neque in omnibus & singulis morbis,  
nedum omnibus horum temporibus, pro salutaribus habea-  
mus, aut declarare queamus, quilibet facile ex iis, quae in  
anteced. §. modo dicta sunt, nec non ex ipsa experientia,  
plura hujusmodi phaenomena suppeditante, concludere po-  
terit. Hinc ante omnia, priusquam ulterius progredimur,  
monendum esse ducimus, quod illas praecipue Agrypnias ae-  
grotantibus salutare esse reputemus, quae, licet gradum & li-  
mites naturalium vigiliarum notabiliter excedant, & ad plures dies  
& noctes plerumque extendantur, minime tamen vires & modum  
ipsum Naturae prorsus exsuperant, sed his pariter, ac morbo ipsa  
proportionatae sunt, adeoque in acutis frequentius, quam in chro-  
nicis, occurrunt, aut in his certa ad minimum intervalla habent, in  
illis autem tempore incrementi, ad statum usque morbi, aut etiam  
sub qualibet nova paroxysmorum exacerbatione, indefinenter sepe  
durant, hisque demum praeterlapsis periodis, ad ordinarias iterum  
vicissitudines, cum somno placido & tranquillo servandas, sponte  
transcunt, utque status aegrotorum naturalis & pristina *coepit*  
simul eo facilius restituatur, multum omnino contribuant.

§. XIII.

Ex his autem dum aperte nunc liquet, quod principali-

C

ter

ter *Agrypniarum febricitantium* pro salutaribus & quasi absolute necessariis reputemus, inprimis si tempore incitii & incrementi evenerint, dein vero his quoque, quae in chronicis morbis occurrunt, certo respectu parem effectum salutarem tribuamus; merito nunc opus erit, ut indolem & specialiores istorum morborum circumstantias, sub quibus *Agrypniarum* magis profunt, quam obsunt, exactius lustremus, sicque exinde asserti nostri veritatem clarius evincere valeamus. In ipsa ergo *Februm* prudenti consideratione historico-aetiologica quilibet, qui praedictis non admodum favet, facile perspiciet, quod illae ordinarie non solum mensura impetus, sed & inprimis successus sui, adeo exquisitos & accuratos servant ambitus in quibuslibet subjectis, ut vel exinde statim patescere queat, has circumstantias minime simpliciter & solitarie *materialibus* causis & conditionibus tribuendas esse, sed utique simul concursum *principii* cujusdam *agentis immaterialis & rationalis* primario involvere, quod pro diversa materiae peccantis conditione & nocendi potentia, motus suos ordinaris tunc quoque diversimode auget, dirigit & applicat, ut tempestivam & convenientem ejus tam absterisionem & liberationem a massa humorum & visceribus nobilioribus, quam etiam plenariam tandem eliminationem e corpore, per loca & vias congruas, obtineat ac perficiat.

## §. XXIV.

Haec sane generaliora, & reliqua adhuc subjungenda specialiora momenta, nobis nunc persuadent, non plane absurdam (uti quidem multis haecenus visa fuit,) & contra rationem esse illam hypothesin, quod nempe *febris in se spectata*, sibi que relicta, & absque perturbatione quacunque legitime & ordinate decurrens, minime *letifera* sit, sed *salutarem* potius

potius successum & eventum plerumque adsequatur, si nimirum successivae illae proportionatae secretiones & tempestivae excretiones materiae morbificae, quas cuilibet febris solennes & proprias deprehendimus, prudenter non solum tolerantur, sed etiam rite observantur, gubernantur, & quocumque modo adjuvantur potius & promoventur, quam negliguntur, aut plane pervertuntur. Monstrat enim tunc experientia, quod, si numerus eorum, qui varii generis febribus passim corripiuntur, & tamen ab illis iterum feliciter evadunt, comparetur cum illorum numero, qui sub febribus tandem moriuntur, non solum horum longe pauciores occurrant, quam priorum, sed & insuper ii, qui etiam ita moriuntur, non tam directe ab ipsa febre intereant, sed vel sub impedito atque perperam succedente febris decursu, vel sub aliis morbis, quibus aut febris supervenit, aut qui febris juncti fuerunt.

§. XV.

Equidem non ignoramus, quod febris omni fere tempore & ab omnibus Medicis, tam antiquioribus, quam recentioribus, habita fuerit pro morbo, quoniam sub eadem integritas actionum, cuilibet individuo competentium, in qua sanitas effective consistit, aperte laesa deprehenditur, unde etiam ipse HIPPOCRATES *L. de flatibus Sect. III. p. 80.* febrem communem vocat morbum, & aliorum morborum, praecipue inflammationis, comitem, siquidem etiam re vera ipsa experientia testatur, quod pauci moriantur absque febre; ast, haec omnia prohibere non possunt, quo minus ipsa quoque febris diverso respectu possit esse morbus, & simul etiam remedium suae ipsius causae pariter, ac aliorum morborum. Hinc ipse modo citatus sapientissimus noster HIPPOCRATES

C 2

toties

toties inculcat, febrem, certis morbis supervenientem, eos sanare; hinc à cordata antiquitate febris jam olim pro lucta motus & certamine naturae adversus causam morbificam & vim morbi, reputata fuit, quo ipso sufficienter innuebant, eandem nequaquam noxiam, sed salutare quicquam esse, siquidem illud, quod pugnat adversus hostem vitae, qualem causa morbifica constituit, non potest in se & sua natura esse perniciosum; hinc porro CAMPANELLA *Lib. VII. de sensu rerum cap. 2.* febrem nullum esse morbum, sed remedium contra morbos, ingenue adstruit, quemadmodum etiam *Celeberr.* SYDENHAM, *Opusc. Sect. I. cap. 4.* commotionem illam massae sanguineae, febrem vel efficientem, vel concomitantem, à Natura concitari, asserit, vel ut heterogenea quaedam materia, in eadem conclusa ac ipsi inimica, secernatur, vel ut sanguis in novam aliquam diathesin immutetur. Non minus etiam exinde liquet, optimo jure quondam HIPPOCRATEM *Lib. II. Epidem.* scripsisse, quod prudentis Medici sit, aliquando febres accendere, quoniam nimirum haec, ad minimum quoad formalitatem suam, nihil aliud est, quam instrumentum, cujus beneficio Natura corpus suum ab interitu, quem materia peccans febrilis molitur, vindicat, eamque subigendo & expellendo, pristinam sanitatem restituit.

§. XVI.

Dum ergo per se jam constat, Animam, seu Naturam, in cogitando & ratiocinando quidem potissimum activam, maximam tamen simul potentiam habere in motus singulos in corpore contingentes, eos nempe vel augendo, vel imminuendo, aut varie etiam determinando, utpote quod Sapientum nullus, qui pathematum animi & imaginationum vires cognitatas habet, qua ratione nimirum eadem motum & crasin

crasin partium fluidarum, imo & solidarum configuratio-  
nem mutant, unquam negavit, vel negabit; dum insuper  
nullum dubium est, ex causis mere moralibus & idealibus fe-  
brilem quandam commotionem posse in corpore suscitari,  
testimonio febrium ex imaginatione, metu, aut terrore obor-  
tarum; dum porro eadem numeri, ordinis, temporis & lo-  
corum est observantissima, horumque omnium exquisitissi-  
ma inprimis ratio in febribus habetur, prout ex diversitate  
typi, ordinati recursus paroxysmorum, & criticarum excre-  
tionum, abunde elucescit: Quid sane obstat, quo minus ean-  
dem universum febrium negotium active moderari & diri-  
gere, motusque vitales, & speciatim se- & excretorios, certa  
proportione & gradu, pro diversitate nimirum noxiae qua-  
litate materiae peccantis, per certa dein loca, certoque tem-  
pore è corporis sphaera proscribendae, augere & intendere  
posse concedamus, inprimis cum tali ratione miasmatis, seu,  
ut aliis placet, fermento febrili, sua quoque maneat activi-  
tas, suosque illud pariter exferat effectus in febribus, sed non  
nisi absolute noxios, & idcirco prudenti consilio & salutari  
modo à Natura coercendos & praecavendos, dum nempe  
motibus extra ordinem auctis imminentem humorum cor-  
ruptelam avertere allaborat, sicque febrem, unacum singu-  
lis eandem comitantibus molestis symptomatibus, non ex in-  
epta quadam petulantia, aut stolidi simplicitate, sed ex sum-  
ma necessitate, ob certissime aliàs eventurum majus vel mi-  
nus periculum, excitat & producit.

§. XVII.

Quod autem *motu intensiori* ac fortiori, tam *tonico*, par-  
tium externarum musculofo-membranacearum, quam *progres-*  
*sivo* & *intestino* ipsius sanguinis, absolute opus sit, pro obri-  
nenda

nenda salutari hac intentione, exinde facile probari potest, quoniam potissimum sub languidiori istorum motuum successu morbificae & noxiae tales materiae generantur & colliguntur, tandemque copia pariter, ac qualitate magis infesti redduntur, adeoque alia ratione vix iterum exterminari possunt, quam sub ordinarium se- & excretionum augmento, per auctiorem illorum motuum gradum unice obtinendo, utpote qui insimul necessariam illam, actui huic excretorio de jure semper praemittendam, *coctionem* & *maturationem*, unacum *viscerum* & organorum colatoriorum debita *permeabilitate*, adjuvare optime solet. Cum enim materiae peccantes & morbosae ordinarie vel ob cruditatem suam magis immobiles sint, vel ob subtilitatem halituosam laudabilioribus humoribus arctius & intimius adhæreant, prius omnino praeparandae, à nexu hocce liberandae & ad excretionem aptiores reddendae sunt, quo per secretoriorum organorum poros penetrare queant, idque obtinetur incidendo & resolvendo ea, quae viscidiora sunt, attenuando & diluendo spissa, & involvendo ac incrassando halituosa, acria & fermentativa, quos actus sub *maturationis* & *coctionis* titulo comprehendit sapiens antiquitas, quippe qui ad ipsa vascula excretoria & capillaria usque extendi debent, ut & ibi forsitan haerentes & stagnantes humores fixi attenuentur & propellantur, sicque insimul, remotis viarum & emunctoriorum obstructionibus, promptior ibidem absterio & remotio impuritaturn noxiarum fieri queat.

§. XVIII.

Omnes igitur hos actus adeo necessarios felicissime perficere solet Natura, facta prius, sub augmento toni in partibus externis, copiosiori humorum versus interiora restrictione per



per intensiorem motum sanguinis *progressivum*, ejusque comitem perpetuum, *intestinum* nempe, caloris incrementum producentem. Licet enim *frigoris* non solum, sed & inprimis *aestus* vehementia, perquam molesta ordinarie sit febricitantibus, nihilo tamen minus absolute requiruntur, cum sine illis causam febrilem vix unquam debite expugnare queat Natura. Dum enim sub frigore copiosior humorum versus viscera contingit affluxus, sic non solum stagnantes ibidem impuritates valide propelluntur! & absterguntur, sed & concurrentes forsitan obstructions referantur debitaque illorum permeabilitas restituitur; dum vero sub aestu validior particularum agitatio & resolutio fieri solet, sic hac ratione humorum glutinositas & viscositas optime dissolvitur, immobiles & crassi attenuantur, & nimium abundantes ac Naturae molesti imminuuntur; unde etiam idcirco Veteres calorem febrilem in specie utilem judicabant ad concoquendum, id est, ad incidendam, attenuandam & excretioni aptam reddendam materiam peccantem, id quod etiam experientia in febribus praecipue intermittentibus saepissime confirmat, quae communiter, quo major sub earum paroxysmis percipitur calor, tanto citius etiam solvuntur, cum contra lentus & languidus aestus fixam sedem ac radicem arguere soleat.

## §. XIX.

Hi ergo sunt praecipui modi ac rationes, hic est processus ille solennis & ordo, quo Natura utitur in auferenda materia peccante febrili, & corpore suo ab interitu vindicando, quaeque omnia ita sane comparata deprehendimus, ut, an alia magis rationalis methodus inveniri, & sub eadem aegri tales aequae facile sponte convalescere queant, merito dubitandum sit. Singularum autem harum circumstantiarum

rum attentata & judicioſa conſideratio quemlibet Medicum facile convincere poteſt, vix unquam febrem aliquam occurrere, nedum ſalutariter decurrere poſſe, ſine *agrypnii*, haſque pro conditione periculi, aut diverſa ſpecie februm, modo diuturniores & ad tempus quaſi indefinentes, modo etiam remiſſiores & interruptas eſſe debere. Dum enim noxium illud miaſma febrile potiffimum in fluidis, aliquando vero etiam in ſolidis partibus haeret, quibus modo citiorem, modo tardiorem, ſemper tamen certiffimam minatur corruptionem aliamque noxam; dum porro hoc ipſum ita ſimul eſt comparatum, ut ſingulas functiones in corpore humano peragendas, vitales nimirum, naturales & animales, ſatis evidenter turbare valeat, quoniam quicquid phyſica ſua efficacia & virtute efficit ac producit, illud omne vitae & ſanitati officit; nemo ſane hinc mirari poterit, qui fiat, quod durante actu febrili continuae fere ſint *agrypniae*, ſi- que debitum gradum & ordinem ſervant, legitimum & ſalutarem ſingularum februm decurſum quam maxime promoveant, idque unice, ob neceſſarium illud augmentum activitatis Animae in vitalibus, pro felici materiae peccantis abſterſione & eliminatione abſolute inſtituendum, ſub quo, dum inſimul quoque principii hujus rationalis alacritas in ſentiendo & cogitando magis intenditur, inevitabili proſus modo *agrypniae* oriri & conjungi debent. Si enim ad ſomnum capeſſendum, prout ſupra (§. IV.) jam monuimus, ſemper requiritur plenaria *mentis ſecuritas*, alienatio ejus a poſſitivis intentis *cogitationibus* & ſollicitis *ſpeculationibus*, una cum *ſaſtatio* quodam *ſentiendi* & ulterius *agendi*; ſi etiam inſuper (juxta §. VI.) ſub ſomno, & poſt illum, actualis quaedam *remiſſio attentionis* Animae, tam quoad ſenſus, quam quoad

quoad motus, ordinarie observatur, merito hinc concludere licet quod, dum sub febribus aequae, ac aliis morbis, de conservanda Oeconomiae animalis integritate continuo fere sollicitum & circa illam maxime operosum est, principium illud immateriale, adeoque omnia prorsus contrario sese habent modo, utique idcirco in ejusmodi aegrotantibus major semper ad agrypnias, quam ad somnum admittendum deprehendi debeat dispositio.

## §. XX.

Ut autem vere *salutares* & aegrotantibus quasi essentialis *agrypnias* ab aliis irregularibus, coactis & mere passivis, modumque & gradum nimium transcendentibus, & idcirco plerumque perniciosius potius, quam utilibus, debite discernere queamus, notandum imprimis est, quod eadem *diverso morborum gradui & statui* potissimum debeant esse *proportionatae*, ita quidem, ut in morbis *acutis*, ubi materia aliqua peccans summe activa, & ad cito introducendam fermentativo-putredinosam humorum dissolutionem maxime apta & disposita, ordinarie praesto est & decursum admodum praecipitem formaret, nisi provida Natura, necessitate quadam physica, per actionem nempe hostilis & periculosaes istius causae stimulata, adeoque non prorsus ex libero quodam arbitrio, motibus ultra gradum naturalem auctis & quamdiu periculum istud proximius imminet, indesinenter continuatis, tempestive eidem sese opponeret eamque e corpore proscribere allaboraret, semper *constantes & diuturniores* minusque interruptae sint tales agrypniae, quoniam periculi gravitas haud permittit ullo modo quiescere Naturam, aut a suscepta sua majori activitate quicquam remittere, antequam hostem illum plenarie devictum, omniaque iterum penitus

nitus in salvo esse deprehendat. E contrario autem, quando materia peccans morbifica viscida magis & crassa, aut se-  
gnioris indolis & ad graviolem qualemcunque noxam adeo  
prompte & facile inferendam quadantenus ineptior depre-  
henditur, sicque minus acutam, sed potius mitiorem, beni-  
gniolem, & plus minusve *chronicum* decursum morbi exinde  
producti servant, tunc, quoniam successivis potius & repe-  
titis motibus, non vero simultaneo actu, eadem ab humori-  
bus & visceribus liberari ac removeri potest & debet, pru-  
denti consilio quietem quandoque interponit, sicque *agry-  
pnias* non tam *continuas* servat, sed potius interdum etiam  
somno, pro recuperandis & colligendis novis viribus, spon-  
te indulget Natura. Et hac ratione facile nunc liquet, cur  
in omnibus *febris acutis*, imprimis autem *exanthematicis* &  
*malignis*, licet etiam augmentum reliquorum motuum in iis  
ad tantum non ascendat gradum vehementiae, uti quidem  
in *continentibus*, *inflammatoriis*, *biliofis*, &c. majores semper &  
fere continuas, in *intermittentibus* autem, nec non benignio-  
ris indolis *continuis*, reliquisque chronicis affectibus, qui in-  
ducias quasdam Naturae concedunt, remissiores & saltem  
alternantes cum somno qualicumque adpareant *agrypnias*, &  
tamen caeteroquin aequae salutare sint, ac priores.

## §. XXI.

Pari quoque modo *agrypnias* tunc itidem *salutares* ma-  
gis deprehenduntur, quando *temporibus morborum* debite re-  
spondent & proportionatae sunt. Talia autem maxime cir-  
ca *febres* observantur, inque harum decursu probe omnino  
observanda sunt, dum nempe *incipiendi*, *augescendi*, *continuan-  
di* & *desinendi* certae omnino vices in iis occurrunt, quae  
dein conjunctim sumtae, usitato nomine periodum februm  
consti-

constituunt. *Initium*, seu *invasio*, suas semper habet peculiaris circumstantias, quas pariter *incrementum*, augmento imprimis ordinariorum symptomatum, imo & accessu novorum subinde supervenientium, exhibet, atque insimul successu non solum, sed & peculiari temporis ambitu describitur. Succedit huic tempus aequalis cujusdam progressus, ubi in eodem gradu & statu symptomata pristina manent, quodque vulgo *statum* adpellamus, & tandem *declinatio* succedit, ubi successive mitescunt omnia & in melius iterum vergunt. Dum ergo tempore *incrementi* & *status* omnes imprimis vires Natura eo intendit, ut noxiam peccantis materiae activitatem infringat, eamque subactam denique extra corporis limites propellat, facile hinc concludi potest, quod, durante illorum ambitu, pro diversitate periculi impendentis *agrypniae* vel *continuae*, vel cum breviori & leviori saltem somno interdum alternantes, absolute expectandae & patienter sustinendae sint, donec tandem sub *declinatione*, superato feliciter hoste, & remotis omnibus interitum corpori minitantibus causis, dum pristina successive restitui solet integritas actionum, insimul quoque placidam iterum pedetentim Natura admittat quietem, velut certissimum obtentae victoriae testem.

## §. XXII.

Cum porro etiam abunde notum sit, quod, si febres non tam una continua & maxime aequali serie scenam suam ludunt, sed interpositis veluti requiescendi, seu respirandi alternationibus, novo demum impetu insultant, repetitae ejusmodi exacerbationes idcirco, usitato termino graeco, dicantur *paroxysmi*, dispiciendum utique nunc erit, quomodo sub his quoque vicissitudinibus *agrypniae* se gerant, quantum-

que tunc ab iis expectare liceat emolumenti. Sunt autem ejusmodi paroxyfmi evidetiores femper & folenniores in *continuis & intermittentibus febris*, conftituuntque novum femper infultum novamque pugnam Naturae, hoflem fuum, elapfis induciis, de novo oppugnantis. Dum ergo tali in ftatu novis quali viribus peccantem adoriri folet materiam, armaque fua ordinaria, intenfiore nempemotus contra eandem dirigit, ftolidum fane effet, qualemcunque tunc exoptare, aut expectare fomnum, abfurdiffimum vero, eundem quacunquereatione urgere & inducere velle, cum fic omnis Naturae activitas penitus tollatur, noxia autem morbificae materiae energia augeatur, ut perniciofum fuum deffruftorium effectum, tanto facilius exerere queat. Hinc, prout vel graviores, vel leviore, itemque diuturniore, aut breviores funt ejusmodi paroxyfmi, *gradum* etiam *agrypniarum* variare deprehendimus, ut modo citius, modo etiam tardius definant, imo decreffentibus illis febrilibus infultibus tandem fponfe evanefcant, ficque fi forftan illi in tempus confvetum fomni incidant, hunc non amplius turbent, fed fub eodem placide & cum aegrotantium *evofolia* decurrant; unde etiam vulgus tunc dicit: *Es fey gut, wenn die Patienten das Fieber verffchlaffen.*

§. XXIII.

Tandem cum *declinatio* in febris potiffimum, nec non aliis quibusdam morbis, fiat vel *cito* & quali fimultaneo activitatis fuffeffu, plenariam materiae peccantis remotionem uno fere actu perficiente, quod *Crisis* adpellamus; vel *reffiva* magis quadam diffolutione & excretionem, fimilique totius impetus remiffione, quam *λυσις* vocamus, priorque maxime in acutis, pofterior vero in intermittentibus & chro-

chronicis occurrat, utique his temporibus maxime necessarias & non minus utiles esse observamus *agrypnias*. Licet enim nostris in oris *exquisite* & perfectae *crises*, per copiosam & simultaneam *ecrisin* sese manifestantes, vix unquam contingant, tamen illas *minus exquisitas*, febribus nostris magis ordinarias, satis notabilem, & si reliqua decenter subordinentur, satis quoque sinceram & constantem mutationem in melius plerumque inferre, neminem Medicorum later. Possunt autem tales pariter vix unquam alia ratione absolvi, quam per novum & extraordinarium motuum se- & excretoriorum aliorumque augmentum, sub quo ipsas quoque *agrypnias* invalescere absolute necessarium est, & quidem non solum ipso die critico, sed & uno vel altero eundem praecedente, utpote in quibus praeparatio ad subsequendam fieri solet *crisin*, quique idcirco ac antiquioribus *tyrannici* vocabantur, quoniam tunc suam quasi tyrannidem ac vehementiam quam maxime manifestare solent febres. Summae igitur temeritatis arguendus merito esset ille, qui his sub circumstantiis somnum conciliantia exhibere, iisque tales *agrypnias* pellere veller, quod sane idem esset, ac valide pugnantem, hostemque jam jam prosterntem arma eripere, & manibus vinculis ipsum morti tradere.

## §. XXIV.

Demonstrata sic necessitate & salubritate *Agrypniarum* in febribus in specie, facile nunc intelligi potest, quod etiam in aliis magis *chronicis morbis*, cujuscunque etiam generis fuerint, sub iisdem modo allegatis circumstantiis, illae pariter minime noxiae sint: Licet enim tantum non semper in his peritescendum sit periculi, quantum quidem acutos ordinarie comitatur, absque tamen qualicunque motuum augmento

vix unquam decurrunt, adeoque tunc etiam vigilias inevitabiles itidem esse, per se patet. Interim hoc negandum non est, quod partim tales agrypniæ non semper continuæ & statariæ sint, sed sæpius intervenientem admittant somnum, qua ratione etiam, dum aegroti novas subinde colligere possunt vires, tanto minus formidandæ sunt; partim etiam quod in hisce affectibus frequentius *passivæ* saltem sint, causamque materialem partes moleste adgravantem, nec non varia tormina atque dolores excitantem, pro fundamento habeant, adeoque etiam hoc respectu blandis remediis lenientibus & anodynis securis mitigationem illarum tentare & procurare paulo magis liceat, quam quidem in febribus, ubi ut plurimum *activæ* potius sunt, & propterea qualemcunque intempestivam turbationem & positivam cohibitionem aegrius admittant. Quod vero de reliquo tales sub chronicis morbis eventientes agrypniæ, etiamsi diuturniores & fere indefinientes fuerint, non semper idcirco noxiæ sint, experientia sæpius testatur, siquidem *Alard. Hermann. CVM MENVS in Ephemerid. Nat. Cur. Dec. I. Ann. III. Obs. 185.* refert, *Celebert. SCHENCKIUM* aliquando per quatuordecim dies vigilasse, nihilominus tamen actiones tam vitales, quam animales integras permanisse, quamvis Lienteria etiam gravissima, cum sudore continuo, laboraret; quemadmodum etiam *WELSCHIVS l. c. Dec. I. Ann. VIII. Obs. 36.* annotavit, puerum, vermibus laborantem, per integrum sesqui annum molestissimis vigiliis cum ejulatu afflictum fuisse, & tamen omnia famini hominis munia obiisse, donec tandem, insigni lumbricorum copia expulsa, ad pristinam redierit tranquillitatem.

## §. XXV.

Dum ergo nunc sufficienter demonstratum fuit, agrypniæ



pnias ut plurimum, licet non exiguam aegris creare soleant molestiam, absolute necessarias admodumque salutare esse, & quidem speciatim in febribus, facile nunc quilibet prudens Medicus exinde colligere potest, quod tales, quamdiu conditiones & leges ordinarias non transcendunt, aut Naturae vires non nimium exhauriunt, minime directis & positivis soporiferis remediis tollendae & supprimendae sint, sed saltem conveniat ordinariis temperantibus, diaphoreticis, bezoardicis fixis & acidulatis insistere, donec vel crisis aliqua subsequatur, vel paroxysmi ad declinationem iterum vergant, quo tempore sponte communiter cessant agrypnae, ipsarum febrium felicior & securior obtinetur curatio, quam si Opiatis symptoma hoc necessarium aggreditur atque insimul universus morbi decursus, ob facile quoque abinde metuentam salutarium excretionum suppressionem, pervertitur. Huc accedit quod ipsa haec Opiata saepissime contrarium magis effectum exserant, somnique loco vigilias magis exasperent, siquidem Jo. BETTUS, *Tr. de nat. sangu. cap. II. Sect. VII. §. 7.* probe monet, quod Opium pro diversitate temperamentorum diversos quoque monstret effectus, aliquos reddendo insanos, alios taciturnos & languidos, & alios petulantes ac ad amandum proclives, quod etiam deliria illa gravia, inconsideratum opiatorum usum in febribus saepissime & fere ordinarie excipientia, abunde confirmant. In morbis autem chronicis, cum, ut supra dictum, quandoque mere passivae sint tales agrypnae, non prorsus damnanda quidem sunt lenientia & anodyna, sed saltem securiora & prudenter ordinata, vitando omnia superstitiosa, qualia alias vetulae ad profigandas puerperarum nimias vigilias, commendare & applicare solent, de quibus vid, *Ephem. Nat. Cur. Dec. III. An.*

VII.

VII. & VIII. Obs. 42. Concedi hinc potest, pro re nata, usus Tinct. Martis solaris, seu ex minera Martis Hassiaca parata, quam WOLFFIUS ibidem, Dec. II. Ann. VII. Obs. 190. eximie commendat; aut infusum musci arborei, ex Larice, Cedro, Abiete, Pinu, &c, aliisque resiniferis corticibus desumpti, cum vino albo paratum, quod Bernb. à BERNIZ cit. loc. Dec. I. Ann. II. Obs. 51. in Schol. laudat; aut decoctum medullae graminis juncei, cum aqua paratum, cujus egregiam virtutem anodynam depraedicat CRÜGEEVS, l. c. Dec. III. Ann. II. Obs. 65. aut ipsa etiam Essentia Ambrac, cujus singularem vim hypnoticam eximie commendat SCHOBERVS ibid. Dec. III. Ann. IX. & X. Obs. 254. quorum etiam rarum illud hypnoticum à ROMMELIO Dec. III. Ann. VII. & VIII. Obs. 43. recensitum, frictio nempe & lenis titillatio plantarum pedum, in iis, qui eandem perferre possunt, referimus, quae quandoque in diuturnis agrypniis praestantissima quaelibet exsuperare solet remedia.

T A N T V M.

S. D. G.



OO A 6318

ULB Halle 3  
002 933 500



SB

VD  
18

Reho ✓ V D 17







NAVGVRALIS MEDICA,  
 DE  
 TARIBVS  
 TANTIVM  
 Y P N I I S,

QVAM  
 NDVLTV  
 CVLTATIS MEDICAE  
 R-ANTIQA HIERANA,  
 PRAESIDIO  
 DREAE ELIAE  
 CHNERI,

AT. ET COMIT. PALAT. IMPERIAL. ACADEM.  
 E PROF. PVBL. ET FACVLT. MED. ADSESS.  
 REG. BEROLIN. SOCIETAT. SCIENT.  
 SODALIS,  
 OTORIS SVI COLENDISSIMI,  
 DV DOCTORIS  
 TE SALVTARI PRIVILEGHS  
 MMVNITATIBVS  
 EMNITER IMPETRANDIS,  
 VM DISQVVSITIONI SVBMITTIT  
 IANVS SCHENCKEN,  
 OLINBVRGENSIS.

COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.  
 VEMBRIS, A. M DCC XXXIX.  
 is HERINGII, Acad. Typogr.